

26

22

A. D. G.

DISSERTATIO PHYSICA,

DE

# USU FRIGORIS,

Qvam,

Ex suffragio Cel. Philos. Ordinis in Regia ad  
Auram Academia

PRÆSIDE,

CAROLO FRID.  
MENNANDER,

Scient. Nat. PROFESSORE Reg. & Ordin.

*Publico bonorum examini subjicit*

PRO GRADU

SAMUEL BIRLING,

*OSTROBOTNIENSIS.*

Die XVIII. JUN. ANNO MDCCXLVIII.

Loco horisqve ante meridiem convetus.

---

ABOÆ,

Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

*Farrum Australis & Ex*

*Viro admodum Reverendo atque Praeclarissimo  
Dn. GABRIELI PELDAN,*

Ecclesiarum, qvæ Deo in Ilmola, Curicka, Cau-  
hajoki, Jalasjærvi & Alavo colliguntur, Pastor i on-  
ge meritissimo, Patrono omni obseqvii genere æ-  
ternum proseqvendo.

*Viro plurimum Reverendo ac Praeclarissimo*

*Dn. Mag. ESAJÆ FELLMAN,*  
Rectori Scholæ Trivialis Wasensis meritissimo, an-  
te hac Informatori fidelissimo, jam autem Fautori  
jugiter colendo.

*Viro Spectatissimo*

*Dn. JACOBO WILHELMO ROSS,*  
Artis, qvæ in Ostrobotnia floret, nitrariæ Inspecto-  
ri dexterissimo, Fautori qvovis honoris genere per-  
petim afficiendo.

**D**issertacionulam hancce incontam, rudiqve elaboratam  
Minerva, Vobis, Patrone & Fautores optimi, ob-  
prosus singularia nullo non tempore in se cumulata favo-  
ris ac benevolentiae documenta, in gratissimi animi tesse-  
rav, perpetuaeque observantiae arrham, nec non ulterio-  
ris favoris spes certissimans, una cum perenni, pro Vestro  
Vestrorumqve flore ac felicitate, voto, offert  
**NOMINUM VESTRORUM**

*Cultor humillimus  
SAMUEL BIRLING.*

§. I.

**N**on defuerunt olim, nec etiamnum defunt,  
qui operibus divinis, in universi hujus adspe-  
ctabilis theatro obvenientibus, nescio qva du-  
cti superstitione, plus, qvam pat est, tribu-  
unt efficacie, ususqve illis adscribunt plures, qvam qui  
jure essent adscribendi. Sed nec pauciores sunt illi,  
qui de rebus in mundo obviis, inqve certum a sapi-  
entia Divina productis finem, nimis abjecte sentiunt,  
qviqve omnem eis, saltem plurimis, usum plane de-  
negare, incommodaque majora certe, qvam decet,  
adtribuere, haud erubescant. Inter hos merito refe-  
rendi videntur illi exterorum, qui magno numero de  
Svecia nostra, qvam a providentia divina commo-  
ditatibus ac dotibus, partim cum aliis regionibus com-  
munibus, partim etiam peculiaribus plurimis instru-  
ctam esse, nemo, qui supra vulgum sapit, verita-  
tisqve fuerit amans, ignorare potest, parum honorifice  
sentiunt, & infelicem eam proclamat. Hi namqve vel  
ignorantia, vel nescio quo partium studio ducti, pro-  
bra ac convicia in gentem ac regionem nostram in-  
nocentissimam ingerentes, nugas atqve insulta sua  
commenta, hoc inter alia arguento, minus qvi-

A 2

dem

dem feliciter, probare annituntur, qvod scilicet Svecia sita sit in climate, ubi frigus intensissimum dominatur. Ex frigore itaque plurima, qvæ jure non possent nec deberent, derivant incommoda, usum vero ac commodorum ex frigore modico, & quale nostrum est, redundantium, qvæ si non majora, certe æqvalia prioribus sunt, plane sunt immemores. Caiorem & frigus binas manus, dextram & sinistram, qvibus præcipue operatur natura, vocavit magnus *Venerabilis* (a). Ad utriusque itaque effectus æque erit respiciendum, & de utroque justum ferendum judicium. Nos commoda ex frigore paucissimis his expone-re constituimus pagellis. Qvod si ex votis non succedat, enixe contendimus, velis, lector benevole, nos temporis angustia pressos, necessariaqve subsidiorum supellectili destitutos benigne excusatos habere, innoxiumqve hunc juvenilis ingenii conatum æqui bonique consulere.

(a) *Sylva Sylvarum*, cent. I. §. 63.

### §. II.

**O**Mnia omnino, qvæ in globo nostro terraquo reperiuntur, corpora particulæ qvasdam subtiles, qvæ effluviorum nomine scientiæ naturalis scriptoribus venire solent, emittere, admodum est probabile. De plerisque certe, qvæ hic recensere atqve enumerare nimis foret prolixum, & ab instituto nostro alienum, id experientia evictum est. Sed neqve id minus experientia, ratione idem comprobante, certum est, corpora hæc eadem effluvia pro ratione caloris, qui, quatenus attractionem particularum mutuam superando easdem a se invicem separat, quasi solvens qvodam

dam hic considerari potest, emittere; & ita quidem, ut quo major caloris adfuerit gradus, eo plura, frequentiora ac majora semper ejiciantur effluvia. Si itaque calor aestate ingruat vehementissimus, atmosphera nostra, quatenus omnia tunc maxime exhalant atque evaporant corpora, citissime variis, iisdemque saepe noxiis, impletur particulis, quae una cum aura, qua vescimur, corpora nostra aliorumque viventium intrant, proque natura ac indole sua noxia perplurimos, eosdemque non raro pestiferos, parunt morbos, qui, cum curari nequeunt, compaginem corporum destruunt celerrime, mortemque adferunt inopinatam. Ad hoc vero amovendum incommodum, frigus quam maxime facit. Frigus enim, quod caloris est oppositum, seu quod in absentia ac privatione caloris consistit, calori quoque contrarios edat effectus, necesse est; adeoque corpora quilibet condensando ac in minus redigendo volumen, quo simul attractio particularum, coharentiaque corporum insigniter augetur & crescit, efficit, ne effluvia tanta adeoque notabili copia ac quantitate, quam alias, in atmosphaeram emittantur. Quid? quod particulæ, si quæ dantur, in aere natantes, frigore ita condensantur, ut secundum leges gravitatis terram versus petant, inque illam, absqve ulteriori in aere commoratione, decidunt. Frigus itaque atmosphaeram ab effluviis quibuslibet noxiis liberare & præservare, salutique magis conduceantem reddere, quilibet, qui clara luce caecutire noluerit, videre potest. Non diffitemur, sub frigido etiam celo expandi & rarefieri corpora aliquæ, ac effluvia emittere. Est is frigoris effectus in glacie evidenter.

tissimus, quæ fere à parte specificè levior & ratiōnē i-  
psa aqua redditur, & ex Perraultii Beyliique observationis  
copiose evaporat. Sed sunt hæ evaporationes magis ho-  
mogeneæ minusq[ue] nocivæ aestivis. Hinc de frigore au-  
tumnali hunc in modum judicat Woodwardus (b): Septem-  
bris mense, quo halitus mineralis copiose admodum constitutus  
prope terræ superficiem, ingrue non absq[ue] singulari divi-  
na providentia frigus acrius & mordacius, quam pro solis  
activitate & situ altiori tunc expectari possit; irruunt quo-  
que ordinarie venti procellosi valde & turbulentissimi. Frigus quo-  
dem, ut recineatur & obstruatur mineralis materiae adscen-  
sus; venti vero, ut dissipentur & aliossum devehantur balan-  
tus, qui iam e terra prodierunt, & perniciem hominibus &  
animantibus inferrent, nisi auferrentur, longe maximam.

(b) In *Geographia physica*, p. 181.

**Q**uanti usus necessitatisq[ue] aqua in globo nostro ter-  
raq[ue]o ad sustentationem incolarum ejus innume-  
rabilium sit, nemo, qui vel mediocrem adhibuerit ad-  
tentio[n]em, ignorare potest. Sublata enim hac, tota  
terra arida & marcescens nil nisi horridum esset deser-  
tum; nihil crescere, nihil vivere posset. Hinc etiam  
providum Numen, pro summa sua sapientia ac boni-  
tate, ejusmodi in primordio terum instituit ordinem,  
quo hoc, ad omnium viventium conservationem adeo  
necessarium elementum, sufficienti per omnem terræ  
ambitum copia, sub forma pluviae, nivis, grandinis,  
fontium, torrentium, fluviorum, lacuum, &c. di-  
stribuitur. Omnium autem horum phænomenorum cau-  
sas investigare ac reddere proposita vetat brevitas: suf-  
ficiat

ficiat nobis, observasse, quomodo frigus ad dispensationem aquarum concurrat. Non quidem negamus, vapores a calore præcipue in atmosphærā elevari, sed simul contendimus, frigore eosdem ita condensari, ut in forma guttularum decidant, terram irrigent, &c., si eorum sententia vera est, ceu esse omnino videtur, qui statuant, fontes per circulum superiorem, ex pluvia nimirum & nixe, condensatisque ad montes vaporibus oriri, indeqve originem & perennitatem deducere fluvios, amnes, lacus, &c. hi effectus frigori, quod ad collectionem vaporum haud minimi est momenti, qua partem sunt adscribendi. Hinc memorabile est, quod obseruavit Job Rajus (1), sub frigore nimirum intensissimo Anni 1633, cuius hiems fuit inter omnis avii saevissimas, fentes omnes largiores dedita aquas, quam alio quocunqve tempore. Frigus præterea aquam, quæ, si calori vehementiori diutius fuerit exposita, ita corruptitur, ut sine nausea, imo vita periculo in usus adhiberi nequeat, a putrefactione ac corruptione conservat. Veritatem hanc quotidiana experientia, præcipue vero ad regiones sole calentes navigantium testimonia, optime confirmant. Si namque proprius æquator, ubi calor habitat intensissimus, adpropinquantes, id damno suo maximo saepius se expertos fuisse testantur, quod aqua, quæ bona claraque fuit, ita corruptatur, ut impossibile prorsus sit, eadem ad simili extinguendam, aliasque vitæ necessitates, ne dicam commoditates, uti: vermicibus quippe impleta, odorem emitit fœtidum. Ex Linschotenii narratione mucida sit, fætet, mox putrescit, dein viridescit, atque ultimo rubescit, horrore insigni. Quod vero hæc

ce putrefactio calori originem suam debeat, vel exinde videri ac colligi potest, qvod, qvo major adest calor, eo citius aqua quoque corrumpatur.

(c) *Physico theologische betrachtungen, von der welt anfang, veränderung und untergang.* p. 153.

### §. IV.

**F**rigoris usus ulterius exinde quoque patescit, qvod lucem solis, lunæ stellarumque fixarum valde promoveat. Per experientiam enim quotidianam nobis notum est, candidas nives, quæ frigus pro causa sua agnoscunt, quibusque omnia terræ loca, utpote campi, valles, montes, silvae, agri ac plateæ hieme obsoita sunt, adeo claram reflectere lucem, ut non tantum iter facientibus die ac nocte satisfaciat, sed etiam librum quemvis, mediocris licet typi, nocte legere queamus. De eadem hac re eleganter non minus quam vere differit *Kircherus* in *Dialogo inter Theodidactum & Cosmielem*, ubi Cosmiel: *Lumina illa, inquit, relacentia, quibus partes terræ borealis collucere vides, nihil aliud sunt, quam maria glacie constricta, monsumque janga, perpetua nive candentia, quae cum lucis solaris cœpacissima sint, ipsa lucem quandam ex se spargunt.* (d) *Georg. Sciernielius* idem testatur, dum hæc profert verba: *Lunæ peculiarem apud septentrionales splendorem & serenitatem celebrant multi, praesertim Tacitus. Causa naturalis est aer nocturnus, frigoris intensioris siccitate serenatus (e).* De cetero, chasmata seu Auroræ boreales, de quorum indole licet adhuc disceptent eruditii, an sint exhalationes sulphureæ, an aqueæ, an materia magnetica concentrata, qvod exinde videtur colligi posse, quia lumi-

luminis hujus dilatationem majorem vel minorem sequitur magnetis declinatio major vel minor, qvod observarunt *Celsius*, *Grahamus* & *Hiorterus*, an alias cuiusunque naturæ, saepius oculis nostris gratum exhibent spectaculum; sufficit nobis, qvod in phænomeni hujus productione frigoris videantur esse aliquæ partes, cum in boreali cœli plaga holpitium potissimum habeat, & qvidem tempore hiberno fere exferat. Hæc inquam chasmata, per longum cœli tractum sub miris flamarum coruscantium, radiosque evibrantium figuris adparentia, lumen stellarum lunæque majorem in modum promovent, horizontem nostrum eximio suo fulgore collustrant, lusibusque suis infinitis oculos mentesque hominum magnopere delectant. Si jam ea, quæ § præsenti leviter tetigimus, conjugantur, iisque addantur dies nostri æstivi longissimi & noctium fere expertes, facile adparet, plus lucis septentrioni esse concessum, quam locis meridionalibus. Tantum abest, ut de tenebris Cimmeriis, ad quas nos dannatos esse aliqui exterorum proterve iudicant, conqueri concessum habeamus.

(d) In itiner. Exstat. 1. cap. 2 p. 45. (e) in Anti-Clas.  
Diff. de Hyperboreis. p. m. 137.

### §. V.

**P**Lures qvidem prærogativas iis, quibus sedes ac domicilium in plaga obtigit calidiori, Deum concessisse, neminem inficias iterum existimaverim; sed qvod omnes illæ nullius plane essent usus, nisi frigus, qvod incommodis orbis nostri notabilioribus adnumerare solent, adesset, & tyrannidem exercentem

calorem compesceret, rem quoque putaverim esse notissimam. Ex historia enim novimus, regiones quasdam, quæ tanto affliguntur calore, ut omnia torrida, exlucca atque enecata fere jaceant; frigore, ventis, præcipue polaribus, vel alio quoque modo advecto, ita refocillari, ut refectis viribus vitam longius producere queant vegetabilia & animalia. Qvis nescit, in zona calida multas esse solitudines, incolas, nisi feras immanes, non habentes, quarumque accolæ misere cœli ardore cruciantur? De *Egypto* narratur, quod nemo mortaliū hora 2. pomeridiana audeat ire extra domum in plateam, & si per duo minuta ibi commoretur, pedes illi exurantur. In *Ormo* homines ob calorem interdiu in doliis aqua repletis mento tenus otiosi cubare necessum habent. Alibi speluncis abditi homines latent, aut variis artificiis, umbraculis, flabellis, museariis pavoninis, venti ductibus, & ingurgitatione frigidæ ad nauseam & distensionem aqualiculi usque, calores mitigare conantur. Quæ tamen media omnia neutiquam æquivalent illis, quæ ad compescendam frigoris vehementiam nobis concessit divina bonitas. Conducit præterea frigus hibernum ad servanda corpora a putrefactione, quod præter experientiam manifestam, quotidie in locis hisce frigidioribus obviam, *Pbilos. Bungund.* Aut<sup>r</sup>or etiam testatur: *Frigus*, inquit, *corpora saepe a putredine vinäicat*, dum partium fluidarum sifit motum, quae foras prodeuntes, corruptionem promovent. Hinc mortua corpora nive obruta, diu incorrupta servantur. In quam rem memorabile inprimis est exemplum, quod adfert *Baribolinus*, de militibus nostris Svethicis ad oppugnationem

nem Haffniensem d. 11. Febr. 1659. occisis. *Alii*, inquit, rigidi, iratum vultum ostendebant, *alii* brachia extensis gladium minari, *alii* alio situ prostrati jacebant. Imo ex mare ante gelato & primo vere resoluto eques equo suo insidens integer emersit, nescio quid manibus tenens. Et paulo post eadem Philosophia Burgundica: In septentrione carnem & pisces aëri exponunt, & citra saltem diu servant. Hirundines in stagnis & lacubus Sveciae congelatis per hiemem immotas, & velut mortuas, sed pinguis admodum jacere, tam notum est, quam quod maxime. (f) De frigoris quoque effectibus in hunc modum judicat Ferrandus Imperatus (g): Multae fructuum sunt species, quae a frigore emolitae mitiores, ciboque commodiores, evadunt; neque a frigore corrumpuntur carnes, earumque complures in aëre sereno saporem ferinum exuunt. Liqvet vel ex his ipsis, frigus nostrum plura parere commoda, quam in regionibus calidis per balsama & pollincturas operosas & pretiosissimas obtineri potest.

(f) Philos. Burgund. Tom. II. Tract. III. cap. 4. p. m. 270.

Conf. etiam Du Hamel Opera Philos. T. II. p. 58. (g)

Hibor. Naturalie. p. m. 384.

### §. VI.

**C**onstrictio superficie terrenæ per frigus, & nives, quæ hiberno tempore in Svecia nostra maxima prolabuntur copia, ad conservationem segetum arborumque, nec non seminum ac radicum, multum facere, nemini, qui res adtentu perlustrare didicit oculo, ignotum esse potest. Pori enim terræ, semina hieme continentis, clauduntur & obturantur, niveque, quasi crasso quodam tegumento, obducuntur, quo si-

mul prohibetur, ne omnis calor dissipetur & in austram abeat, sed ad vitam plantarum necessaria ejus portio in sinu terræ detineatur. Qvod hoc ita sese habeat, id insuper plurimorum eruditissimorum viorum testimoniis corroborare admodum esset facile, sed sufficiat unum atque alterum in re manifesta produxisse. Rudbeckius in hunc modum verba facit: *Snæn gør  
har det gagnet, at många arter, som bit af fremmmande  
land aro infærde, håller snæn varme uti jorden, där de uti  
Tyskland, Holland och Frankrike af en torr kiald färderfa-  
was, det basver jag siefv uti många ting färsækt (b).* Huc illud Plinii quoque pertinet: *Qui dixit, biemes  
serenas optandas, non pro arboribus vota fecit (i).* Inde est, qvod superbiat Flora Svecica hodie fere ducentis supra mille plantarum sponte nascentium speciebus, quantam vegetabilium aciem regio aliqua calidior nostræ æqualis nondum eduxit. Sunt vero inter has baccharum variæ species, immensa copia campos nostros, & ipsas paludes, operientes, ex parte ne nomine quidem reliquo orbi nota, quæ cum exterorum grandisculis malis, sicubus & uvis saepe certant, salubritate vero illas superant, & ex quibus, ne vel illa parte septentrionem deterioris fortis credas quam meridiem, vina etiam parari possunt. Sunt vero harum aliquæ, qvod præcipue nostrum spectat negotium, quæ antea austera & acerbiusculæ, ingruente frigore mites efficiuntur. Hortus vero Upsaliensis ejusque caldaria ex omni orbis parte advenas æque feliciter fovet, ac locus orbis habitabilis quicunqve alius. Nivem præterea, verno præcipue decidentem tempore, particulis suis

luis nitrosis plantas reficere terramqve saginare adcuratores jam dudum observarunt œconomi: ut jam nihil de delectamento illo prorsus singulari loquamur, qvod, scilicet, tellurem nostram albissima nive, velut pulvere adamantino obtectam, elegantissimam hieme nobis conspicere liceat, cum Australiorum calore solis exusta aut luto inquinata deformis adpareat. Quem tamen nitorem, ne oculis nostris gravis sit, plantarum semper videntium ubique occurrentes copiae temperant. Nec id penitus intactum transire licet, qvod frigus ipsam terream glebam culturæ aptiorem reddat. Ita enim judicat Imperatus (k): *ad putrefactionem vel solutionem terrae duræ, quæ a calore excessivo lapidescere solet, frigus esse admodum utile.* Et margam biemis tempore disiectam impinguandis agris longe optimam esse, qvod partes ejus frigore aut gelo comminatae, citius aqua aut humido aëre exsolvantur, obseravit Du Hamel (l). Repte itaque agriculturæ magnus arbiter Varro judicavit. Cum enim orbem terrarum in duas partes divisisset, alteram quæ est ad meridiem, ad septentriones alteram, statuit hanc meridiana illa longe salubriorem, & quæ salubriora sunt, inquit, illa fructuosa (m). Sed ut frigoris etiam in regno animali videamus effectus, illud infecta, ne multitudine sua reliquis animalium classibus oneri & internecioni sint, somno aut letho tradit. Idem vero species eorum conservat, dum ipsis animalculis vel eorum ovis in aqua, terra, foliis arborum deciduis, aut vegetabilibus latentibus, hybernacula parat, eaque obtegit & conservat. Est & illud in regionum frigidarum commodis, qvod noxias & vene-

venenatas bestias non foveant, sed ex adverso stupenda copia animalium quadrupedum, volatilium, natatilium gaudeant, quæ vel ad victimum, vel amictum & contra frigora, vel ad medicinam, vel ad volvendum vomeres, vel ad delectationem inserviunt, quodque illa mira fecunditate quotannis augescere videant. Unde non *vagina gentium* verius, quam reliquorum etiam animalium, dici potest septentrio.

(b) *Atlanta*. Tom. I. cap. 4. (i) *Hist. Nat. Lib. 17. cap. 2. p. m. 194.* (k) *Loc. cit.* (l) *L. nuper alleg.* (m) *Libr. I. c. 2.*

### §. VII.

**F**rigoris eam esse indolem ac naturam, ut corpora condenset, omnibus notum, & in superioribus a nobis jam indicatum est; conseqventer frigus corpora nostra reddit compactiora ac durabiliora. Præterea, transpirationem frigore imminui a Physicis quoque est observatum; unde iterum sequitur, partes corporis nostri solidas eandem ob caussam compactiores & robustiores evadere, & frigus moderate repercutiendo caloris operationes adjuvare. Meridionalibus populis caro laxa & mollis, corpora gracilia & infirma, nobis compacta & indurata. Hinc etiam fortitudo SveoGothorum, laborum incredibilis tolerantia, nec non morbis diu resistendi aptitudo, a frigore non male qua partem derivari posse videntur. Boreæ hoc in punto commoda jam olim exposuit Medicinae parentes Hippocrates: Αἱ δὲ καθ' ἡμέραν οὐασίσσεις, αἱ μὲν Βόρειοι, ταὶ το σώματα ξυνιστῶσι, καὶ οὐτοις, καὶ εὐκίνηται, καὶ συχέγασι, καὶ συγκοπήσει ποιεύσσει. Quotidianae autem constitutiones,

aqvi-

aqviloniae quidem, corpora compingunt, & robusta, & facile mobilia, & bene colorata, & melius audientia faciunt (n). Cel. Hoffmannus (o) eadem de re hunc in modum loquitur: Populi septentrionales, qui a teneris annis, frigoris & caloric repentinis mutationes sustinere coacti sunt, minus in morbos prolabuntur, & faciliter ex iis convalescent. Idem, biemem frigidam & secam vires corporis concentrare & colligere, ibidem docet. De cetero, cum frigus, ut supra demonstravimus, impedit, qvomodo atmosphæra nostra noxiis imprægnetur particulis, adparet eidem esse adscribendum, qvod varii generis morbi maligni, e. g. contagiosæ pestes, acutæ febres, &c. qvibus calidiori plagæ subjacentes gentes frequentissime adfliguntur, nos in zona frigida habitantes non, nisi raro admodum, vexent. Hinc etiam longævitatem incolarum regionum borealiorum experientia longa commonstratam, a frigore deducere haud varentur nonnulli. Facit hoc non Meibomius modo in epistola de tongaevis, sed ipse etiam Verulaminus (p) frigori potentiam longævitatis adtribuit: Regionibus, inquit, frigidioribus & hyperboreis diutius homines vivunt plerumque, quam calidioribus; qvod necesse est fieri, cum & cutis sit magis austricta, & succi corporis minus dissipabiles, & spiritus ipsi minus acres ad consumendum, & magis fabriles ad reparandum, & aér, utpote modice calefactus a radiis solis, minus praedatorius. Helviginus (q) quoque boreales populos meridionalibus esse vivaciores contendit. Huc pertinet mos veterum, infantes recens natos aquæ gelidæ immergendi, quo mature advescerent aëris injuriis sine sanitatis dispendio ferendis. Est & hodie Fin-

Finnorum, Livonum, Russorum consuetudo, ut ex balneo fervidissimo corpus summe calefactum aëri hie-mali exponant, vel nive totum obruant, vel per foramina in flumina glacie obducta demittant. Fiunt hæc absqve notabili sanitatis dispendio, non tamen a me eum in finem adferuntur, qvasi his omnibus longævitatis sponsor esse vellem. Sed audiamus etiam de sanitate septentrionalium Rudbeckium: Ser man bær til menniskian sielf, med bwad belse bon er, så bær man wist at tacka Gud, at sellan aro bær besmitteiga siukdomar, sasom pestilentia, spettetska, slackfeber, &c. med bwilka sæderlanderne næstan årligen måste dragas. Hvarfære och meninskian bær i gemen til en mæktæ bæg ålder stiger, fram fær de, som bo i Sæderlændren, &c. (r). Imo, Paulus Warnefridus frigus esse caussam non sanitatis modo, sed etiam propagationis gentium, statuere videtur. Verba ejus hæc sunt: Septentrionalu plaga, quanto magis ab æstu solis remota est, & nivali frigore gelida, tanto salubrior corporibus hominum, & propagandis est gentibus magis coaptata: sicut e contra omnis meridiana regio, quo solis est fervori vicinior, eo semper plus morbis abundat, & educandis est minus apta mortalibus. Unde sit, ut tantæ populorum multitudines arcteo sub axe orientur (s). Hinc si verum esset Curtii effatum (t): Situm locorum ubique ingenia hominum formare; Aut Heumannii (u), qui, quemadmodum corpora humana mollitie & duritie, tum etiam robore ab invicem distant, ita & ipsæ hominum animas ex essentia sua, non esse sibi per omnia similes, qvin potius aliam ac aliam ex meliori subinde fistam esse luto, a veritate haud alienum judicavit, adeoque posse illas in

in aureas, argenteas, ferreas & plumbeas diffeserit; si, inquam, hæc essent veritati conlona, vel ex hospitiis illis, quæ mentibus gentium septentrionalium paravit natura, videre potuisset hic præceps illarum contentor, illas non esse sequioris luti quam Germanorum. Nos sapientes a stultis non hoc limite distingui novimus, quem ponit corporis structura, aut aër calidior vel frigidior; interim nec negamus, aëris mutationes humores corporum nostrorum alterare, atque inde ingenia vel hebetiora vel acuta magis esse. Illam vero mutationem, quam secum adfert frigus & hiems, in melius potius quam in deterius fieri, vel inde apparet, quod alacriora nobis tempore hiemis sint ingenia quam æstivo. Frigus, quod ærem purgat & corpora condensat, nec spiritus aggravat, aut in flatus verbosos abiit finit. Potius itaque subscriptum videtur judicio Verulamii: Ea ingenia, quae in climate frigidiori eminent, etiam acutissimis calidarum regionum praestare (v).

- (n) Aphoris. 17. sect. III. (o) In fundamentis Medicinæ, Hygiein. C. I. §. 15. & C. II. §. 7. (p) Hist. vitae & mortis, de longæv. & brev. vitae humanae. §. 24. (q) In corollario ad Diff. de Ligno Brasiliensi. (r) Att. Tom. I C. 4. (s) De Gestis Longobardorum. Lib. I. Cap. I. (t) Lib. VIII. (u) In comment. de ingen. philos. p. 578. (v) De augm. scient. Libr. VI. C. 3.

### §. VIII.

**F**rigeris denique usus ex itinerum tempore hiberno incredibili commoditate clarissime eluet; horum enim beneficio œconomia nostra, in qua flos ac vigor

republicæ consistit, mirum in modum augetur, maxima-  
que capit incrementa. Hieme namque divitias subterra-  
neas, in montium latebris abditas eruere, metallurgiam  
exercere, silvas, quas maxima copia nobis providentia  
divina concessit, in uatum nostrum convertere, optime  
possimus. Quid de illa commoditate loqvar, qua inco-  
lae septentrionis nostri lati perfruuntur, dum ad com-  
mercia instituenda, itinera per flumina, lacus ac stagna  
fuscipliunt, locaque astivo tempore prorsus inaccessa fa-  
cillime, & absqve magno labore temporisqve dispendio  
adeunt? Tantam qvoqve parit hoc in cristallinis ponti-  
bus iter voluptatem, ut si vel unico die gentibus calida-  
rum regionum obtingere posset, illam certe qvovis pre-  
tio redimerent. Audiamus Athanasium Kircherum hac de  
re eleganter hunc in modum loquentem: *Vidisti ne unquam  
lacu & flumina densissima glacie confinia? Annon obseruasti,  
qvam solidum non animalibus tantum, curruumqve vebiculis,  
sed & hominum negotiantium commoditati, aptum iter hiberno  
praebeam tempore? Qvancam hominibus in relaxandis animis oco-  
cationem cristallino meo pavimento præfsem?* (w) Item Rude-  
beckium, qui hiemem his laudat verbis: Ja, man kan här om  
wintertiden med stärsta nyitta och luft resa dag och natt øfwer  
sjöer och strämmar, där man i andra lander, såsom Tyskland,  
Frankrike, Spanien, Italien, etc. måste resa i stärsta märcker,  
orenligheten under buken på båten, och i en osund dimba och  
luft (x). Parenti jungimus filium: Jag wil icke ens räkna  
then bekvämstiget, med hvilken man här om wintern øfwer  
isen och snön kan fortkomma; antingen man då sätter sig uti en  
släda, som här neder brukas; eller uti en Achbi och Cheretz,  
såsom hos Laparna, ther ofta med en Ren häres en 12. a 16.  
mil

mil om dagen. At færtiga theras Schir, hvilka hær allenast kunna brukas; men i the sædre orter aldrig: emedan ther hwarken så diup snæ faller eller på then så stark skara: Warandes mange ibland them så snelle Schitpare, at the i hastighet kunna inhæmta the snellesta Elgar, Renar, Hiortar och Biørnar. Tå andre imellertid gå ejter Wargar, Lodiur, Ræfvar, Zablar, Harar, Mårasar, Hermlin, Ekornar. Alt såsom hwar och en kan vara fallen och baswa lust til. Hvitket som thet är et wackert tidsfördrif, så är thet ock icke mindre færnøjelse (y). Juvat etiam ad uberiorem argumentum hujus declarationem adjungere suffragium Ill. Puffendorfi. Och dar sœarna, inquit, en sådan bekvæmlighet intet gifva, de navigatione loqvitur, så botas sådant af flædefæret om winteren, hvilket kommer dem, som resa och baswa vågot at beställa, mæcta val til pass, efter som Bænderne in til denna tiden sina mæsta forslor bespara (z). Quantum præterea usum hiems in piscatura exercenda, aliisqve economiaæ partibus, secum habeat, id, cum res sit clarissima, sciens jam prætero. (w) In itin. Exstat. II C. I. p. 25. (x) Atl. Tom. I. C. 4. §. 9. p. m. 84. (y) Nora Samolad, p. 12. (z) Inledning til Svenska Hist. p. m. 909.

## §. IX.

**P**Lura quidem argumentum hoc illustrantia adhuc dicenda restant, e. g. quod ex glacie pocula, admodum apta quibus vinum infundatur & refrigeretur, confici possint. Item, quod portio glacis bullularum expers, loco speculi caustici ad radios solares excipiendos ac colligidendos usurpari queat. Quod frigus homogenea congreget, heterogenea vero segreget; quodque salis separatio ab aqua marina frigoris ope institui posse videatur, etc. Haec vero omnia angusta res domi nimis- que

que curta supellex, aliaeque praeognantes certe rationes, silentio transire jubent. Prius autem, quam colophonem operae buic nostrae imposuerimus, non abs re esse duximus, objectionem illam, quae hec formari posset, brevibus solvere. Dixerit fortassis aliquis: in Svecia nostra tantum gravatur frigus, ut nullum nos exinde babere queamus usum; cum respectu incommodorum ex frigore profluentium usus illi attendi nequeant, nulliusque plane sine momenti. Sed responderetur: In Svecia nostra adest frigus, sed nobis neutiquam intollerabile, &c., quod observandum, adsum etiam media, quibus frigoris vi resistere, ejusque injurias repellere valemus, v. g. multitudo liguorum, pelliumque variarum, etc. Est quoque frigus proprium suum antidotum; quid enim notius, quam carnes, & fructus conglaiciatos aquae frigidac immersos crusta glaciali obduci, & in pristinum sere statum restituiri, hominum quoque membra siderata, frigida aqua perfusa & nive obdulta, ad sanitatem redire? Compensantur quoque, frigoris & hiemis quae sunt in omnia, aestatis commodis, quae citius ad maturitatem deducit vegetabilia, quam alibi locorum. Ita in ipsa Lapponia Lulensi observavit Linnæus (\*) hordeum polysticum C. Bauhini per noctem hemeras 58. Secale vernum vel minus Ejusdem 66. noctem maturuisse; cui simile exemplum australior Europa non valet exhibere. Haec omnia vel maxime ad sapientiam ac bonitatem Dei illustrandam & manifestandam faciunt. Hic jam filium scriptoris abrumpimus, & coronidis loco verba ex Persis trium virorum v. 70 71. adponimus: Gelu & frigus, glacies & nives benedicte Domino, laudate & supra omnia extollite eum in secula!

(\*) In praef. Florae Lapponicae.

